

auct.) a plerisque auctoribus acceptum, *nudicaulis* denique ab ipso Solander cum *L. hirta* confusus.

LEONTODON MAROCCANUS (*Pers. Syn.* ii. 308, et *DC. Pr.* vii. 100, sub *Thrinicia*), = *Thrinicia mauritanica* (*Spreng. Syst.* iii. 666, pro parte), = *Hyoseris hispida* (*Schousb. Gew. Marok*, 183, sec *DC. Prod. l. c.*).

Mar. sept.—Tanger! (*Salzm. Exsicc.*)! (*Webb spec.*)! In monte Djebel Kebir! In collinis inter Tanger et Tetuan!

Mar. centr.—Prope Mequinez (*Schousb. l. c.*).

Mar. occid.—In montosis aridis ad Mogador (*Brouss. ex DC. Pr.*). A recentioribus non detectus.

*Ar. Geog.* Imp. Maroccanum. Hispania australis.

Stirps nostra, a Sprengelio et auct. recentioribus cum præcedente confusa, videtur probe diversa, capitulis majoribus, ligulis externis in dorso pilosiusculis fuscis, acheniis majoribus muriculatis, marginalibus pappo coroniformi fimbriato, interioribus rostro longissimo quam achenium ipsum quadruplo longiore donatis, receptaculo demum læviusculo, margine foveolarum subobsoleto non piloso.

L. TINGITANUS (*Boiss. et Reut. Pug.* 68, sub *Thrinicia*).

Mar. sept.—Prope Tanger (*Boiss. et Reut.*, spec. incompletum in *Herb. Kew.*)!

*Ar. Geog.* Nonnisi in ditione Tingitana et in Hispania Arundana hucusque detectus. Specimina completa Tingitana non vidi, sed exemplar Hispanicum anno 1851 prope Ronda lectum his omnino conforme est. Indumento ex pilis furcatis subvelutino insignis, verisimiliter probe distincta species.

Speciei hujus sectiones (*Thriniciæ*, auct.) extricatu difficillimæ sunt. Affinitas inter *L. hirtum* (L., *DC. Pr.*, sub *Thrinicia*) et *L. Rothii* nostro (*Thrinicia hispida*, Roth) tam proxima ut exemplaria sæpe difficiliter dignoscuntur; et, pace tantorum virorum, sectio *Streckera*, a celeb. Benth. et H. fil. in *Gen. Pl.* loc. cit. laudata, a *Thrinicia* separari nequit. Radix annua in *L. Rothii* (ut jam innotuit b. Lowe) in calidioribus sæpe perennans, et post annum primum fit præmorsa. Numerus radiorum pappi nullomodo constans ut voluerunt cll. Boiss. et Reuter, sed in *L. Rothii* sæpissime 10 et semper pauciores sunt quam in *L. hirta*. Pili non semper simplices.

L. HELMINTHOIDES (*Coss. et Dur. ined.*), var. = *L. hispanicus*, var. *Ballii*, *Benth.*

Scapi simplices breves, bracteis 1-2 linearibus instructi; involucri foliola pauciora quam in typo, minus regulariter imbricata—foliola interiora latiuscula; ligulæ extus rubellæ nec virentes; receptaculi foveolæ margine brevissime membranaceæ non ciliatæ; achenia apicem versus attenuata, vix, aut ne vix, rostrata, subtiliter corrugato-asperula (nec muriculata); pappi radii longiores plumosi, exteriores breviores setacei.

Mar. merid.—Legi in convalle Amsmiz circ. 1400 m. ! Spec. acheniis immaturis in monte Djebel Ouensa ab indigeno Ibrahim lecta benev. comm. cel. Cosson !

*Ar. Geog.* Species Algeriensis ; var. nostra Atlantis Majoris civis est.

*L. helminthioides*, *L. hispanico* (Mérat in Ann. Sc. Nat. xxii. 106 ; DC. Pr. vii. 127, sub *Asterothrici*) proximus est. Satis differre videtur acheniorum et pappi structura, et præsertim foveolis receptaculi sub-obsolete marginate non ciliatis. In hac grege tamen characteres valde incerti. Ne dicam de notis specificis, characteres etiam generis nullo modo stabiles sunt. Inter specimina *L. hispanici* ad Fuente de la Higuera lecta (Bourgeau, Pl. d'Espagne, No. 1600) video achenia exteriora incurva extus furfuracea, nec costato-striata, pappo brevissimo fimbriifero coronata omnino ut in *Picride lyrata*, Del.

LEONTODON HISPIDULUS (*Del. Fl. Eg.* 117, tab. 42. sub *Crepide* ; *DC. Pr.* vii. 109, sub *Oporinia* ; *Boiss. Fl. Or.* iii. 727), = *Kalbfussia orientalis* (*Jaub. et Spach, Ill. Pl. Or.* iii. 117, tab. 283), = *Leontodon trivialis* (*Ball in Journ. Bot.* 1873, 372).

Mar. merid.—Legi prope Aïn Oumast, prov. Shedma ! et in prov. Mtouga ! Specimen unicum in ruderatis urbis Marocco !

*Ar. Geog.* Species Ægyptiaca et Maroccana, cujus var. (*Millina persica*, *Boiss. Diagn. Pl. Or. ser. 1, vii. 3*) per regionem desertorum Persiæ australis, Syriæ, Arabiæ diffusa est. Ex Algeria non vidi specimina. Planta ulterius inquirenda.

Planta glabriuscula vel pilis simplicibus adspersa ; scapus primarius erectus, posteriores plurimi adscendentes, omnes aphylli, sæpius furcati 1-3-cephali ; folia lanceolata repando-dentata ; involucrem glabrum vel tenuiter araneoso-pubescentem ; receptaculum fimbriatum ; achenia in rostrum ipsis æquilongum attenuata, pappi radiis 10 plumis, basin versus dilatata.

Stirps satis ludibunda. Spec. nostra aspectu diversa habui pro specie nova ; sed nullis notis gravioribus a planta Ægyptiaca separanda videntur. *Apargia annua* (*Vis. Pl. Æg.* 38, tab. 6), a cel. Boissier *l. c.* inter synonyma sp. nostræ citata, ob achenia pluries breviora, apice attenuata sed erostria, videtur satis distincta species.

Planta Maroccana sæpissime erosa vel sub pedibus conculcata videtur annua, radice indurata interdum (?) perennante.

*L. SALZMANNI* (*Sch. Bip. in Flora*, 1833, 723, et *DC. Pr.* vii. 101, sub *Kalbfussia*), = *Apargia verna* (*Salzm. Exsicc.* 1825).

Mar. sept.—Tanger ! (*Salzm. Exsicc.*) !

*Ar. Geog.* Africa borealis. Hispania. Var. vel subspecies (*Kalbfussia Mülleri*, *Sch. Bip. l. c.*) in Sardinia et Sicilia.

Nomen triviale Salzmannianum *vernus* prioritate gaudet, sed nolui mutare nomen ab auctoribus omnibus recentioribus acceptum.